

LECTORI S.

SEXTVS circiter agitur mensis, cum amicus noster, probus & eruditus vir Leuinus Hulsius, antiquitatis illustradæ studio libellos aliquot nos rogauit, quos de ponderibus & mensuris scripseramus. Misimus duos priores, alterum de æreis aut argenteis, alterum de aureis nummis, missuri propediem duos alios de mensuris, atq; insuper Miscellanea quedam, ad rem nummariam & mensurariam pertinentia. Spondebat Leuinus, futurum, ut ipse præsens libellorum nostrorum correctioni typographicæ sedulò inuigilaret. Sed Pragam abductus rem us mandauit, qui mendosissimè libros nostros excuderunt. Nam, ut alia omittam, qui factum, ut constanter errore pro Schemunah Schemunam, pro Siliqua, Silignam, p Panuinio Panninum semper scripserint? Hebraea vero characteribus Latinis tam facetè exararunt, ut hæc quid sibi velint, diuinare vix queam. Me vicissim aliae occuparunt curæ, neq; passi sunt bellici terrores, ut pertricosis istis studiis animus vacaret. Postremo superuenit luctuosus amici nostri & mihi merito desideratissimi Leuini obitus. Hæ causæ sunt, amice Lector, cur quinque de Ponderibus & mensuris libros pollicitus, nunc duos tantum in lucem proferam. Si priores isti duo & spoueriti non displicerint, reliquos tres ad umbilicum perducere non pigebit. Adiicientur indices, tabulae, prolegomena, & si qua huiusmodi. Tu interim hæc, qualiacunque sint, boni consule & vale. Sedani Idibus Mals c 10. 10 c vi.

